



Sigebertus filius fuit Clotharij Francorum regis ex Ingunde uxore. Is post regnorū cum fratribus diuisionem Austrasiam gubernandam nactus est. Habuit is Brunehildim, Anagildi Gothorum in Hispania regis filiam, uxorem : quæ postea crudelem in reges Franciæ Tyrannidem exercuit. Cum autem Hunni Clotharij regis fortissimi mortem perceperissent, statim Galliam inuadere, et iuvenes reges expellere statuerunt. Itaq; Sigebertus insigni animi & corporis fortitudine præditus, Cæcario hosti obuiam profectus est, eumq; in Turingia ad fluuiū Albim magno prælio superauit, atq; petentibus pacem dedit. Cum etiam Saxones in Italiam profecti essent, Sueuos in eorum terras (quæ hodie Hassia dicitur) collocauit. Verū cum Saxones ex Italia uicti redirent, eos acie superatos, proximè apud Sueuos in Vuestphalia considere iussit. Dum autem Sigebertus cū Hunis bellū gessisset, Chilperichus eius frater aliquot urbes in Mediomatricibus occupauit. Itaq; Transrhenensiu Germanorum auxilio fretus, cū Chilperico pugnauit, & uictor euasit. Postea Austrasiæ regni limites promouit, atq; Alsatiam, Sūdgoiā, & Brisgoiā sibi subiecit. Eo tempore Bossō Sigiberti nomine in Vangionibus, atq; Arnoldus Ansberti filius in Brabantia & Hasbania res administrabant. Cum hoc modo Sigebertus fortiter rebus præesset, atq; fratrem Cilpericum regno Suefsionum exuto, Tornacū, & deinde Rhotomagū pepulisset, tandem à Fridegunde Chilperici cōiuge insidijs impetitus occidit, anno regni sui 14. relicto filio impubere Childeberto, quē ab insidijs Clotarij auunculi seruatum, Gundoaldus Maior domus in Austriam duxerat, educatumq; tādē Clotario substituerat. Sigebertus Suefsionis in Basilica S. Medardi iuxta patrem Clotarium sepultus quiescit, floruit is circa annum Domini 560. Gre. Turon. Laz. lib. 1. Gen. Austriæ.